lam

co.

Posnaniensis Acad. studiosa juventus Adamo Nowodworski faustum ac felicem in Episcopatum Posnaniensem ingressum apprecatur.

Illustrissimo & Reverendissimo Domino
Domino

ADAMO NOVVO DVVORSKY,

Faustum ac Felicem

In suum Episcopatum Posnaniensem

ingressum

Studiosa Iuventus Academiæ Posnaniensis

Heroi

Non minus Maiorũ suorum laude celebratissimo
Quàm summis Naturæ & ingenij Virtutibus
Ornatissimo

Senatori amplissimo

Patrono & Ptotectori suo longè maximo

Magno affectu
Ingenio licet impari

Inter tot gratulãtiũ faustas apprecationes
Lubens ac meritò
apprecatur.

Anno Domini CIↃ IↃC XXX I.

IN STEMMA

Illustrissimæ Gentis NOVVODVVORSCIÆ.



Hoc constricta quoad stabit Respublica Nodo,
Imperij soluent nulla pericla decus.

Stanislaus Krzicki
Stud. Eloq.

ODE
TRICOLOS TETRASTRO-PHOS.

TEstudo quondam deliciæ Deûm,
Insanientis fluctibus, æquoris,
Tu siue delphinos iocosos,
In medijs, resonando, mulces.
Seu, gloriosi prælia iurgij,
Pulso præaltâ, falcigero Deo,
Sede, & Giganteos triumphos,
Blanda canis, Ioue comprobante.
Seu saxa mollis, seu cita flumina,
Moraris, aut cùm Pierij arbores
Deducis, infernosq́; flectis,
Threjcio modulante Vate.
Seu inquietas pectore deiicis
Curas, & atro sanguine desides,
Duros Voluptati hinc amænæ,
Exhilaras animi solutos.
Dic carmen, vllis non prius auribus

Auditum, & ingens lætitiæ melos,
Quod non leones æstuosos
Huc agat, & fluuios retardet.
Sed quod venusto personet impetu,
Suauiq; nostro pectora Præsuli
Soluat susurro: grandiores
Et meditetur ouans cothurnos.
Tot cui honores, præmia debita
Surgunt, Senatus quem citò Principem,
Clarè relucentem Polonæ,
Consilii grauitate genti,
Videbit. O quem, Posnea lætior
Effusa tectis, accipit Omine
Feliciori, nec timebit
Ampliùs ô ferias acerbas!
Orbata postquam Præsulis optimi
Vultu, Lubinscî, deliciis suis,
Mœrore defixa atq; curâ,
Sollicitè huc oculos retorquet:
Quemnam beatis sedibus, inclytum,
Tantòq; dignum munere, Præsulem

Conscri-

Conſcribat hæredem, benignum
Cujus in auxilium reclinet.
Quem circum inerret candor amabilis,
Tum comitas, & ſuaviloquentia,
Arcens retorquenda in pauentes
Dicta, ſupercilio feroci.
Cui os figuret, blanda benignitas,
Cui pectus exornent ſapientiæ
Rivi, ſupernis defluentes
Arcibus: innocuusq; merè,
Rigor probis, & labe carentibus:
Contra timendus, ſæua proteruia
Quêis corda verſat, quos libido
Præcipites agit in ruinas.
Grauem furori diſſociantium
Fraternum amorem: fœdere qui ſcelus
Iungunt ſceleſto, qui feruntur
In proprium potiore cura.
O quem ſecundis ornet honoribus!
Cui deſtinatum, ſors bona, deuouet
Faſtigium! cujus ſub acri
Tuta patrocinio lateret

Crebrò reuoluens, anxia Posnea,
Valdè inquieta sollicitudine,
Votis fatigat non silendis
Sydera, cœlicolasq; Diuos.
At fama postquam, præpete nuncio,
Desideratis, Sarmatica oppida,
Rumoribus, compleuit usq;
Pontificẽ NOVVODVVORSCIVM esse.
Tum templa lætis vocibus occinunt,
Campana magnam lætitiam boat:
Et vota persoluit, lubenti
Pectore, conglomerata plebes:
Quis tum sacerdotum enumeret pia
Suspiria, altâ mente reposta? vel
Quis ciuitatis, jam obligatæ
Sponte sua NOVVODVVORSCIORVM.
Genti vetustæ, dicere gaudia
Possit? quis abstrusos Academiæ
Sensus, decoro dixerit sat
Carmine, pe͛petuò fauentis
Tuo hoc honori? quæ simul ac bibit
Pronâ aure tantæ lætitiæ melos,

Non alteri ceßisse palmam hanc,
Ritè Deum satis apprecata est.
Parùm sed hoc est, gloria nî tua,
Totius vßit corda Poloniæ
Majoris: incertus licet si
Antè animos agitaret error
Vides? Senatus ordo sacer tibi, vt,
Hinc, inde, plausus conciliet nouos!
Lætetur in partem & fidelis
Consilii socium venire!
Vides? ut auro nobile fulguret
Agmen virorum magnanimûm? quibus
Quantisq; concurset globis, per
Compita, per plateasq; pictas?
Æstate quales, cùm cybelëia,
Hyblęus urgens, æra quatit senex,
Qua sponte, tinnitu, relictis,
Curat apes, reuocare, cellis.
Commota surgunt agmina, murmure
Leni strependo, cum duce sedula,
Quaq; iuerit, circùm parata
Ire, globis glomerata magnis

Sic te in Cathedram Pontificem ſuam,
Ducunt caternis innumerabiles,
Seu ciuium molles Phalanges,
Seu Equitum generoſus Ordo.
Virtute magnum quid NOWODWORſciâ,
Se ſe aſſecutos conſcia pectora
Mortalium credunt: ab inde,
Proſperiora vouent abundè.

Petrus Ciswicki Caſtellanid. Sremen: Studioſus Eloquentiæ.

ODE MONO COLOS.

Tandem ſecundis perge greſſibus, tuam in
Magnanime NOVODWORSCI Cathedram,
(corculum
Tuũ unicũ, maiora quæ eximia tua
Dignabitur merita theatro. Rectiùs
Non tu labores alibi colloces: neq;
Excelſius Virtutibus culmen habeas,
Præ iſthoc aliquod, invictus ubi animus tuus,
Victoriæ latè feret ſigna: nec atrox

Hæresis, edaci flammæ Averni obnoxia.
Inauspicatum proferet iam vltrà pedem,
Nec ponet insidias gregi incauto malè.
Abdomen impasta usq; auarum, his qui Deum
Recta colunt ratione. Et oppidulum malo
Sydere locatum, à iurgijs rabidis, et à
Dissensionibus celebre: quo multiplex
Contagio turbæ sacrilegæ, transtulit
Nidum, exulans Germaniâ: rabie ferâ et
Temerariâ, haud iam personabit ampliùs,
Blasphemiam spuens giganteo modo,
Cælo timendum, si satis vires sibi
Validæ. Haud minus Briareus, cui centū manus
Monstrosa genitrix terra, dedit, et brachia
Centum, in Deos ausus: Supremi regiam
Tonantis expugnare adorsus, montibus
Montes super posuit. Sed ach Vanissimo
Nisu. Minerua vbi, atq; Apollo sagittifer,
Constitêre: subitò ruit, iniqua sacrilega,
Impia, scelesta cohors, ad ima tartari
Regna: vnde profluxêre monstra illa effera.
Quid non simile scelesta moliris manus?

Hæres gigantei furoris? pestilens
Proles, ab imo tartari fundo, excita,
Cui Eumenides exasperarunt viperis,
Mortalibus, ferale caput. O dedecus
Æui! sub ipso latere Præsulis, tamen
Ausa est Furia diducere os Acheronticum,
Æterno honorem diripere Deo, sacra
Exterminare, vota Diuis reddere
Prohibere, proscindere probris Antistitem.
Sed non inultum istud feretis credite.
Nam vel prælatos extruite scopulos, vagis
Vos cingite fluuiis, profundis abdite.
Syluis capita, Garganum & Alpinis jugis
Sociate permixtis, & Aemum Caucaso
Iungite, rigenti Pelliong; Ossæ addite.
Murum dabitis haud sceleri. Is en, qui vindicat,
Ibit. Cui seu consilio opus erit: adest
Animosa Pallas. Seu mage artibus placet
Vos contra agere: Musas Apollinemq́; vos
Contra facere bellum, stygis iurabitis
Verenda per Numina Dijs. Potentiâ
Seu obstinata scelere mens meliùs cadet:

Credetis

Credetis horrisono, Iovem, fulmine, super
Capita imminere vestra, sanguinis auidum.
Hac Fascia, sacra Fascia, olim vulnera
Accepta, pro Republica, & pro Ecclesia,
Ligabat: at contrà hostibus vincla grauia
Ferebat eadem: carceri improbos, neci
Vel horridæ dabat. Seges Zizaniorum,
Infesta tritico, supremus Agricola,
Quod legit in suum horreum, metue tibi
A Fascia hac. Fatum cui jam sydera
Reddunt, ut erat, Opalinscio sub Præsule.
Qui labis Hussicæ reos, Sbasinio
Disseminantes virus execrabile:
Militibus inclusit trecentis ter, neq;
Abinde secessit priùs, quàm dediti
Essent sibi, quos Posneæ medio in foro,
Damnauit igni publico, memorabilis
Heros, per omne æuum, insepultâ memoriâ.

Wladislaus Ciswicki Castellanid. Sremen: Studi. Eloquentiæ

ODE DICOLOS

Præsul, veteris magnum imperii
Ornamen, multumq; celebris tuæ,
Rebus patratis, Prosapiæ,
Lumen radians, Patriæ heroa
Fama decusq;
En quando pulchellæ Posneæ,
Principis orbe sub Arctoo vrbium,
Valdè insignis ab artifice manu
Quæ se tam splendentem posuit,
Ordine pulchro.
Nunquam laudata satis limina
Intras, felici primùm pede:
Diuosq; Penates ad magna
Altaria, summâ pietate,
Prosper adoras.
Et templa insolito splendore,
Evibrant lumen: majorq;
Omnes incessit lætitia,
Qui fortunæ consultum suæ,
Non malè sperant;
Te sibi Diuorum satis dato,
Et sorte benignâ. Debebit

Iterum

Iterùm jam Poſnania multùm,
Hæc ad tempora conſeruatæ,
Sydere fauſto,
Illuſtri ſemper domui tuæ,
Propè quæ ter centum ante annos tulit,
Rebus nimium perturbatis
Patriæ (fuerant ut tum tempora)
Vtile germen.
Illius regimine ſub proſpero,
Reſpirauit grandibus à malis
Longo ſquallore obſita, ob ambitum
Exitioſum Opolienſis Ducis,
Posnea tandem.
Quæ, ſeris ſæclis, illius
Memorabit pietatem, & zelum
Ardentem, animumq; haud trepidum mori
Publica ſineret ſi conditio,
Pro grege ſancto.
Memorabit, & inclyta quondam urbium,
Regniq; vetus, Gnesna, Metropolis:
A legibus, ac æquo; ſtantem:
Aſſertoremq; ſui juris,
Non ſine magno

Discrimine vitæ, victuro
Ducet in ære. Quid ambitus,
Furiis infernis damnatus,
Poßit: docuit, docuit, peßimo
More Kropidlo.
Cui cùm Wladislauia non satis
Faceret, quamuis opibus proxima
Gnesnæ tum foret: (Vt mortalibus
Sordent prima, vbi iam sperantur
Optima quæq;)
Romani Pontificis gratiâ,
Rege, & Populo, quàm inuitissimo,
Rapuit ius Gnesnanæ Ecclesiæ;
Censurisq; malè vsurpatis,
Sæuijt audax.
Integrosq; per annos septem,
(Proch scelus execrabile posteris!)
Princeps Ecclesia Pontifice,
Et Primate suo, Res caruit
Publica. Donec
Pereunti misera ambitione
Patriæ, diuino consilio,
Dobrogostius animosus, opem

Tulit:

Iulit: in se oculis versis omnium,
Omine fausto.
Illum stupuit Princeps orbis
Roma: & Maximus Arbiter vrbis
Romanæ, grauitate Heroâ,
Operæ precium Regis agentem:
Non morituro,
Sæculum ad omne, suo clarissimo
Nomine. Tandemq́ Antistes bona
Fertur dixisse: I felix, &
Regis, sed felicior hac tuâ
Sorte potenti.
Gnesnanam i moderere Ecclesiam,
Laude hac ingenii: contractas
Populi & dilue noxas. I memor
Nostri, Patriæq́ optatam tuæ
Redde salutem.

Alexander Grabski
Stud. Eloquentiæ.

ODE DICOLOS.

Age

Age, Præsul NOWODWORSCI, decus ultra
Radians Sarmatiam bellipotentem:
Age, fausto pede, Posnã, citus intra peramænã.

Tibi, felix Eques armis minabundis,
Tibi, patrum grauis ordo, venerando
Famulatur comitatu, venienti benè saluo.

Tibi ciues mage plausu numeroso,
Ferè morem ad salientum chorearum,
Simul aures animauit, studiosas, cita fama.

Procul omnes vitiosas age curas:
Malè natas citò vitam breuiare,
Fugientem super Euri glacialis rapidum orbem.

Petrus Cielecki
Studio: Eloq.

ODE
TRICOLOS TETRASTRO PHOS.

Ergo

Ergo beatæ, lux, NOVVODWORSCIÆ
Domus, secundis ominibus venis!
Magnisq; adimples spebus omnes
Ingenio generosiore.
Ergoq; tecum læta benignitas,
Auro tenebris perpetuis dato,
Iurata, non frustra reuulso,
Hostis adest meliore mente.
Quicunq; magnis grande silentium,
Dixit seuerè, diuitiis, tenax:
Nec Dis amicus, necq; Musis,
Occidit, occidit, ille fato.
Loquetur ætas nescia funeris,
Perenne Posnæ Sydus, & inclytum.
LVBRANSCIVM, de sumptuosis
Molibus, vls gelidos triones;
Notum. Illum iniquæ &, viuere pertinax,
Obliuioni, mox Academia
Demet: serenis, Varta donec
Litoribus trepidabit amnis.
Donec Lycæum nobile Craceum,

C Exten-

Extendet æuum, viuet & inclytè
Depurpurascens flos Polonæ
Gentis, bons NOwodworsciorũ
Bellator acer: Threiicio satis
Notus tyranno: Notus & improbè
Moscho rebelli; dum Smolenscum
Prævalidum cinefecit igne.
Quid Daco atroci? quid refugo Scythæ?
Liuonibus quid tam pereuntibus,
Fato maligno? quid funesto.
Odrysiis metuendus, ense?
Quorum Phalanges, fulmen ut igneum,
Latè patenti disiicere æquore
Doctus: minaces, huc & illuc,
Horrisonis agitauit armis.
Scribet perenni marmore sæculis
Pulchræ, Melite, testis adoreæ:
Illa illa sæui Orchestra Martis,
Barbarici scopulus furoris:
Victorias, quas de legionibus
Emasculatis Bistonidûm tulit,

Serisq;

Serisq; narrabit, vim, in annis,
Magnanimam NOwodworscianã.
Quid illa, magni conscia pectoris,
Narranda seris facta nepotibus?
Quêis litterarum alter Parens ut,
Audiet in veteri Lycæo:
Regum propage, ac Sarmatiæ vnicâ
Recti magistrâ. Vnde agmina fortium
Bello virorum, ac illa sæclis
Corcula Pontificum verenda,
Felicibus fatis Patriæ suæ, ab
Troiano equo ceu, prodierant. procul
Fumis, & his ex asse fucis,
Et graphicâ simulatione.
Verùm quid istud carmine paupere
Perstringo! nostrum præsidium, & decus,
Diuine Præsul! quid fatigo
Non similes animo Cothurnos!
Adscribet & Te Munificentia,
Cœlo beatum. Nec tua, edacium
Morsu, labascent sæculorum,

Quæ dederis monumenta Lomzæ.
Quodq; es daturus, Posneadum inclytæ
Ornamen vrbi. Turribus arduis
Cerno superbam: cerno tectis
Ære Corynthiaco venustis,
Perquam inuidendam! Cessit honoribus
Tuis, Ocellus Pontificum vnicus
Lubinscius: quem extrema nunquã hæc
Sæcula, promeruêre Mysten.

Laurentius Stanisl, Przyborowski
Studio. Eloquentiæ

ODE
TRICOLOS TETRASTRO-PHOS.

Illustre gentis Sarmaticæ decus,
Et peruetusti gloria nominis,
Posnæ Pater, dulcisq; Ouilis,
Spes, columenq;, tui, salusq;.

Quem docta Pallas, Suadaq; nobilis
Et, quo relucent prædita pectora,
Confus, perenni laude cunctas
Lechiadûm celebrant per oras.
Conscende faustis auspiciis sacram
Posnæ Cathedram, quæ placido tuo,
Nunc gaudiis perquàm triumphat
Insolitis, recreata, vultu.
En illa Diuorum inclyta pegmata,
Quos Posna splendens poplite supplici,
Cultu verecundoq; adorat,
Lætitiæ noua signa pandunt.
En sacra gentis Pneumaticæ phalanx,
Et bellicosæ lumina Lechiæ,
Dilecta Mauorti cruento
Pectora, robore militari:
Quidquid virilis, quidquid & indolis
Vrbs hæc tenellæ continet in suis
Tectis, volant, prægestienti &
Astra sono quatiunt, canentes.
Antistes vrbis Posneadûm decus,
O sydus, o lux clara Poloniæ

Quem pura virtus, pertinaxq;
Cura, laborq; vehit sub astra.
Fato benigno, sorteq; prospera,
Ecclesiæ res, pensaq; pignora
CHristi sacrosancto cruore,
Auspiciis rege perbeatis.
O viue felix ter Pilii senis
Annos, Olympi nec repetas citò
Sedem, & tuo, per longa, vultu,
Tempora, Posneadas serena.

Georgius Hlebowicz Castellani:
Wilnensis Stud: Poëseos.

ODE
TRIÇOLOS TETRASTRO PHOS.

O quàm magnificis digna es honoribus,
Tu, quæ conspicuos Arteq;, Marteq;,
Ornas, fascia, gentis
Heroas NOVVODVVORSCIÆ.

Cælo

Cœlo crediderim te ſacra faſcia
Demiſſam, & generi Marte perinclyto,
Fato cunctipotentis
Delatam. Quis enim, quibus
Ornauit meritis ſtirps NOdworſcia,
Inſignem ſtudiis, laudeq; bellica,
Claram Sarmatiam, non
Diuorum eſſe ea prædicet?
Senſit percelebrem hanc, vis Othomanica
Virtutem: Oſmanias quando acies, tuæ
Gentis, clara propago,
Mandabat ſtygiis aquis.
Quid? non Pieriis ſæpè iacentibus
Muſis præſto aderas? non ſtygio Hæreſis
Corda infecta veneno
Curabas pia faſcia?
O nunc lætitiis ô quibus exſilis,
Vt primum nitidam cernere faſciam,
Conceſſum tibi Poſna eſt,
Voces ingeminans ſacras,
O quàm magnificis digna es honoribus,
Tu, quæ conſpicuos Arteq;, Marteq;,

Ornas, fascia, gentis
Heroas NOWODWORSCIÆ.

Andreas Rydzynski
Studiosus Poeseos.

ODE

DICOLOS TETRASTRO-PHOS.

Quem virum aut heroa, tua canorâ
Barbito, dic, Terpsicore, salutas?
Quis sonus, nostras age tunc amænus,
verberat aures?
Hospitis cujus noua lux, superbis
Fulget in tectis radiantis vrbis?
Vnde, dic, quæso, mea musa, tanta
Gaudia cerno?
Stirps adest gentis Nowodiworscianæ
Clara, virtutum nimium redundans
Diuiti Gazâ: venerandæ, & Atlas
Relligionis.

Ille cui pectus generosum eburno,
Et magis, candore nitet, vir omni
Exul à fastu, superisq; notus,
Notus & imis.
Ille vindex est scelerum, quæ Auernus
Horridi squallens Phlegetontis aula
Euomit, mentes superis dicatas
Eripere ardens.
Cuius & feruens pietas, & alma
Pallas, imponunt capiti Tiaram
Ille, feliciq; bonaq; Posnam,
Sorte beabit.

Tobias Achacius
Studiosus Poëseos.

ODE

DICOLOS DISTROPHOS.

Currite splendidulæ virtutū currite turmæ
Elysias nunc linquite sedes.
Prima Panomphæo tu quæ gratissima cælo es

 Relligio

Relligio, terræq; solamen,
Incorrupta Fides, ipso prognata Tonante,
Hæreseos metuenda furori.
Tuq; animi tetricos cui cordi est tollere morsus
Spes, hominum & iucunda voluptas.
Et qui cœlesti complecteris omnia nexu
Inclyte Amor, cœlosq; repandis.
Tuq; simul patuli rectrix Prudentia mundi,
Æternæ mentisq; propago.
Et solio residens supremi Astræa Tonantis,
Linque tuas nunc, linquito, sedes.
Quæq; nec arma times, robur nec forte Gigantum
Affectus nostri moderatrix.
Et tu Temperies virtutis nata decoræ
Tartareis exosa cateruis.
Currite nunc, vestrosq; choros, ad læta vocate
Gaudia, solennesq; triumphos.
Præsulis in faustos præcelsi plaudite gressus,
Festiuumq; simul date carmen,
Et fortunatas super æthera tollite voces.
Hic cœlesti flamine plenus,

Semper

Semper erit vestri præsens tutela decoris,
Vindex, semper, & acer honesti.

Casimirus Krzywosedski
Studiosus Poëseos.

ODE
DICOLOS DISTROPHOS.

Præsul Castalidum decus
Musarum, Ausoniæ Palladis, & simul
Phœbi deliciæ tui.
Si te Posna Patrem, si quòq́ prædicat
Pastorem Cathedra, & tua
Virtus sceptra tibi numine dat bono
Felix imperites gregi ut
Pösnæo, precor: heus spernere ne velis
Phœbi vota tui, quibus
Summè sollicitat sydera, prosperè
Vt nauem, manibus tuis,
CHristi verbigenæ, flectere, creditam

Poßis, & dare portui.
Res est sollicitis plena laboribus
(Quis nescit?) regere hanc ratem,
Illi cùm celebres, æthere proditos,
CHristi & sanguine nobiles,
Portanti lapides, monstra Acherontica
Tot, fures, stygiiq; tot
Centauri, & Lapithæ, & mole perardua
Prædones inhient. Sed heus
O Mystes, roseum cor radiat cui
Sacri lumine Pneumatis,
Ne frangare metu, gratia ab æthere
Magni præsto Dei tibi est,
Adsunt & clypei, quos tibi præparat
Virtus, quâ tua pectora
Fulgent, auxilium & numinis aduocant.
En quotquot mea pignora
In docto gremio Lechia continet,
Mandabo, ut sacra carmina
Fundant æthereas pectora supplici
Ad sedes, tibi traditam
Vt nauem ipse regat cunctipotens pater.

Et post

Et post sæcula Nestoris,
(Quæ tu cœlicolis vsq; fauentibus,
Viuas cum grege sospite)
Ad portum placidũ, & pacificum afferat.

Stanislaus Potarzicki
Studiosus Poeseos.

ODE
DICOLOS DISTROPHOS.

Eia agite ô Musæ nostri decoramen honoris,
Mnemosynes dilecta propago,
Quas vel Pierii viridata cacumina montis,
Hyblæi floresq; retardant,
Vel loca quæ nullis hominũ clamoribus vsquã
Turba perimportuna fatigat.

Ferte citæ gressu, Posnæas currite ad ædes,
Ipse quibus recreetur Olympus.
Fundite dulce melos, lætos affundite cantus,
Accepta cytharâq; chelyq;
Vester Præsul adest, generis laus maxima vestri:
Vestræ præsidiumq; cohortis.
Hic, ut lauripotens sua dogmata spargat Apollo
Latiùs, atq; ut vestra, Sorores,
Fama etiam ignotis lucescat in oris,
Magnifico fastigia sumptu,
Extruxit: latè quæ candida Lomza, suiq;
Mirantur proceres: vberesq;
Vestro dum cernunt venientes dogmate fructus,
Gaudia mente gerunt, & honestum
Laudibus eximijs factum super æthera tollunt,
Sollicitando Numina votis.
Præsulis ergo quid vestri officiosa voluntas
Exposcat, studiumq; requirat,
Cernite, quæ sua magnanimi quoq; præmia virtus
Pontificis capiat, resonanti

Carmine

Carmine Lesboisq; simul celebrate Camænis
Et votiuas addite voces,
Quæ simul astriferi sinuosa cacumina cœli
Perstringant, aresq; Tonantis
Vt sua quem euexit tãta ad fastigia virtus
Nunquam sors impugnet iniqua.

Adamus Grabski
studiosus Grammatices.

ODE

TRICOLOS TETRASTROPHOS.

Iam sat infestis agitata plagis,
Sat malis Posna es, satis impetita,
De supremâ quæ est jaculatus arce,
Rector Olympi.
Anxias curas, tibi quas vel atra
Pestis, aut Rhamnusia dira, siue
Quæ fames degit lapidoso in agro
Tetra, minatur,

Tradet insanis, mare qui æstuosum
Commouent, ventis, tua qui in superba
Tecta, prælustris graditur secundo
Numine Præsul,
It bonus Præsul, superis abundè
Incolis notus, sequitur quem amæna
Copia, omni plena beatitate.
Ergo age Posna,
Vt diu tantis opibus bonisq;
Affluas, hoc Præsule: Numen altum,
Supplici, noctuq;, diuq; mente, &
Voce fatiga.
Prosperos vitæ numeret beatæ
Vt dies, omni vacuos metuq;, &
Tristibus curis, hilaresq; semper
Exigat annos.

Stanislaus Gultowsky
Stud. Grammaticæ.

ODE

DICOLOS DISTROPHOS.

Posnæ splendor, & æthere
Ipso, lapsa velut fax NOwodworscia.
O quàm multiplices, tua
Lux, spargit radios, quêis simul & sua
Regni tecta nitent, simul
A nostris procul & dissita finibus.
Plena est Curia lumine
Hoc tam splendidulo, sanaq́, doctaq́,
Quod dat consilia inclytæ
Scharæ Patriæ, quêis rabidam hostiũ
Vim contundere possit: hoc
Atq; Ecclesia iam ex tempore plurimo
Fulget quæ toties licet
Lethæis Erebi fluctibus, Hæresis
Diræq;, exagitata sit,
Est immota tamen. Clara fuit face

Hac, quam tu hactenus optimis
Rexisti auspiciis, atq́ fauentibus
Diuis, pulchra Premislia,
Claræ quas & ad hæc tempora recreas.
Nunc iam Posneadûm incolas
Illustrat tua fax, ô utinam Optime
Præsul, seriùs inclyta
Inter cœlicolûm lumina luceas.

Wladislaus Rydzinsky
Stud: Gramma-
tices.